

puli vice, nobis esse debet. Illi enim linguam à populo acceptam libris consignarunt & consecrarunt. Atque tum utilis est non significationum modo, sed & adsignificationum observatio. Significatio enim cum sit singularum idemque infinitarum vocum, quæ communibus legibus comprehendi non potest: Ideo adsignificationum inuenta est doctrina. Hæc siquidem plurium vocum communis est & similis, vnde in Regulas & formas generales cogi potest, quas analogiam seu Grammaticam nominarunt: quæ semper ad vsum bene loquentium auctorum, vnde tam significatio, quam adsignificatio pro manavit, exigi & trutinari debet.

*Adsignificatio* vero est *vocum singularum vel coniunctarum*. *Singularum vocum* adsignificatio in Etymologia; *Coniunctarum* in Syntaxi traditur; Omissis autem hoc loco Grammaticorum de genere, numero, declinatione, tempore, vocumque Syntaxi regulis ab eorum schola petendis: De vocum Orthographia & Profodia, pauca adferemus.

*Orthographiæ hæc communes primo leges observanda.*

*Leges quædam de Orthographiâ*

1. Ad recte scribendum observanda est studiose cuiusque origo. Hæc enim ad veram vocis cuiusque Orthographiam plurimum facit: vt si dubites, quomodo scribendum sit nomen sollicitus, vide vnde sit deriuatum, nempe à nomine solus. Sic Auctor cum *st*, non vero *th*, aut *t* simplex, quia est à supino auctum verbi augeo. Sic quotidie potius quam cottidie, quia compositum est à quot & dies, teste Quintiliano. Item conditio potius, quam condicio; vitium non vicium; iudicium, non iuditium; iustitia non iusticia.

2. Nonnunquam tamen vsu venit & consuetudine diutina, quædam aliter scribuntur, quam origo ipsa vocis postulat: Sic inclytus vulgo scribitur, cum tamen iuxta vocis originem esset scribendum in clutus à cluo, id est, splendo, non vero à Græco ἐκλυτ. Item cepit vsitatus, quam cœpit, assum quam adsum, affero, quam adfero, colloquium, quam conloquium, collegium non conlegium, exilium non exulium, assiduus non adsiduus, apprime non adprime. In his tamen magna libertas est, vt postea monebimus.

3. Orthographia æmulari debet ipsam pronunciationem seu profodiam, & contra. Quicquid igitur profertur, id etiam scribi debet, vt ille gemino ll profertur, ita gemino etiam scribi debet. De similibus idem est iudicium, vt, ejus, cuius, Pompejus, vt probat D. Latobus Marthius de litteris. Excipe hæc: Cajus, Cneus, quæ licet cum C. scribantur: leguntur tamen per G. vt meminit Quintilianus lib. i. cap. 13. Cuius causam exprimit Carolus Sigonius de Nominibus Romanorum. Item Coss. id est, Consules. De hac quoque lege sic differit Quintilianus lib. 6. cap. 17. Vsus est vocum vt custodiant & velut depositum reddant legentibus. Itaque id exprimere debent, quod dicturi sumus.

4. Ca-